



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 23. Debent bona opera propriae vocationi convenire.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

fidei verò veritates seellantur docentis opes contemnere , abnegare scipsum , & in nulla re gloriarī , nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi . Denique in omni vitæ ratione ita se gerunt , ac si omnis eorum sermo , & operatio clamarent , *Regnum meum non est de hoc mundo* ( Joan. 18: 36 ) Alta quidem , & difficilia hæc sunt , sed regnum Dei vim patitur , idque omni conatu dignum est , quod non nisi à vim inferentibus possidetur .

## §. XXII.

*Quomodo debeat Christianus opera sua perficere.*

**D**ebet Christianus omnia opera sua in pace , & mansuetudine perficere , & ad omnes rei vel negotii circumstantias attendere , ad locum , ad tempus , ad personas , & præcipue ad finem . Cavebit autem à præcipiti celeritate , qua repentina potius naturæ imperu , quam ratione , & Divinae gratiæ motione ad agendum impellit . Cavebit ab inconstantia , & levitate animi ad diversa , & inutilia facilè evagantis , ut præsentior sibi sit , & aptior ad Dei illustrations recipiendas , quibus statim , & alacriter parabit . Quidquid sibi agendum erit , serio advertet , ne animo præoccupato aggrediatur , alioquin in rebus discernendis cœcietur , & multa illi exident , de quibus merito accusari poterit & reprehendi . Cujusque actionis initio opem , & lumen à Deo petet : tum sedulo examinabit , quam partem in illa habeat Deus , quam ipse sibi vindicet . In progressu animadvertiset , ne delectatio , & complacentia mentem alliciat , & à proposito fine amoveat : in fine cavebit ne sensim subrepens inanis gloria , quidquid bene peractum est , vitiæ & contaminet . Hoc autem præcipue fixum animo habebit , ne hominum laudes , sed Dei gloriam querat , & ad nihil suum respiciens elatas cogitationes in semine suffocabit . Nulli negotio externo se ingeret , nisi vocatus à Deo . Tunc verò prompto animo obediet optans anathema esse à Christo pro fratribus suis : hujus enim vita perfectionem non in Dei fruitione sitam esse seit , sed in ejus voluntate adimplendā . Nihil super vires aggreditur , rebusque gerendis affectum , & mentem non applicabit , ultra quam necessarium sit , ut inde nihil depereat libertatis , & pacis . Omnis com-

motio & effusio ad exteriora spiritum Dei extinguit , & animi serenitatem obnubilat . Sic ut Angelus Tobiae comes nullum officium prætermittebat hominis mercede conducti , semper tamen cum Deo erat : ita vir probus humanis quidem negotiis attendit , atque iis interdum , sicut & cæteri absorberi videtur , sed cor ejus cum Deo manet : & si corpore versatur in terris , mens tamen in coelis est , ubi meliori sui parte ab omni terra affectione liber commoratur .

## §. XXIII.

*Debet opera bona propriæ vocationi convenire.*

**N**ihil interest inter negotia , ad quæ obeunda ratione proprii status , & conditionis quisque tenetur , & maximum negotium æternæ salutis ; nemo enim certius salutem suam operari potest , quâm si officio suo benè fungatur . Subtilissimum nostræ perfectioni laqueum tendit Satan ; cum desideria in nobis excitat magnarum rerum alio loco , & in alia vocatione agendarum : spiritum enim occupant , & mentem distrahabunt , ne rei attendat , quæ præ manibus habetur ; & quæ ad proprium munus pertinet . Maximopere hallucinatur , qui statu vitæ jam prudenter electo locum aptiorem Deo serviendi in alio vita generi sibi singit , & querit . In suo siquidem munere explendo segnis nihil agit ubi est , dum multa & magna molitus ubi non est . Cumque perfectio vitæ Christianæ à singularium actionum bonitate & rectitudine pendeat , ingenitem illi obicem ponunt , qui quotidianas exercitationes , quas proprii officii ratio ab illis exigit , negligenter , & oscitanter peragere conluerunt , quia nimis ubi non sunt , ibi animus eorum est . Horum vita continuum bene vivendi exordium est ; multa decernunt , nihil exequuntur ; frondibus abundant , fructibus carent ; quia ad instar arboris sœpius translatæ , nullo stabili loco radices figunt .

## §. XXIV.

*Quomodo Christianis vivendum sit.*

**I**ta Christianis vivendum est , ut ab illecebris ventris , & gula , ab immodesto corporis cultu ,

H 2

ab